

converteretur. Huic artificio qualicumque concinnius te-
gendo atque insuper pro gradibus humiditatis & siccitatis
aptius notandis paravimus orbiculum M in 60. gradûs di-
visum indiceque suo instructum, ejusque centrum perfora-
tum axiculo rotulæ L decenter applicuimus, ita ut orbiculo
super solo asserere G H defixo, ejus index à rotula L circum-
acta necessariò unà circumduceretur. His ita paratis omni-
bus & fabricâ totâ alicubi suspensâ, ubi aëri externo liber
undique patebat accessus, jucundum erat videre indicem
super orbiculum extimum ab uno gradu ad alterum porrò
retròve procedere, prout aut siccior aut humidior in dies ac
horas evadebat aër; hujus motûs causa interim à spectato-
rum fortuitò accedentium oculis satis absconditâ.

III. Nostris autem, quos tum habebamus, Specta-
toribus ac Auditoribus eam fideliter deteximus, remoto
superiore orbiculo & machinatione subtus latente denuda-
tâ clarè demonstrantes, quod humescente v. g. aëre asserculi
E F C & G H D satis porosi humorem illum aëris sensim
imbibant, eoque turgescerent extremitatibus suis E F & G H
ad invicem propius accedant; hoc pacto verò lamina I K
cum denticulis suis dextrorsum excurrens rotulam L, & con-
sequenter indicem orbiculi M illius rotulæ axiculo firmiter
affixum, necessariò in partem oppositam sive sinistram, per
gradûs retrò numeratos, circumagat: econtrà verò decre-
scente aëris humore, & exsiccatis iterum paulatim ac in se
coëuntibus, ab invicem autem magis discedentibus asser-
culis, lamina I K sinistrorsum retracta rotulam L ex adver-
so, & unà indicem extimi orbiculi, dextrorsum convertat
secundùm gradûs orbiculi porrò numerandos. Et obser-
vavimus certè, tempore autumnalis ac hybernæ humidi-
tatis per complures dies continuè crescentis, indicem plus-
quam 30. gradûs ac notabiliter, ultra semicirculum decur-
risse. Quod si quis mallet indicem in summo humiditatis
aut siccitatis incremento totam orbiculi circumferentiam,